



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione
Dilvcidatvs**

Tollenaer, Jean de

Antverpiæ, 1635

Metrica Paraphrasis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

fectò vitam ducet omnis perturbationis expertem, animique serenitatem nullis interpolatam nubibus, puramque ac defæcatam lætitiã consequetur, & tamquam in portu aut pharo constitutus, fluctuantes alios in hoc tempestuoso vitæ oceano cum Ecclesiaste mox securus intuebitur.

SECTIONONA.

ECCLESIASTES.

VERS. 16. Et apposui cor meum vt scirem sapientiam, & intelligerem distentionem, quæ versatur in terrâ: est homo, qui diebus & noctibus somnum non capit oculis.

17. Et intellexi quòd omnium operum Dei nullam possit homo inuenire rationem eorum quæ fiunt sub Sole: & quantò plus laborauerit ad quærendum, tantò minùs inueniat: etiam si dixerit sapiens se nosse, non poterit reperire.

METRICA PARAPHRASIS.

BEATVS ille, quisquis inscrutabile
 Caliginosi deserens fati chaos,
 Domitisque curis, mente compositã exigit
 Serenus æuam: nullus hunc stabili gradu
 Inordinatus ordo deturbat, licet
 Sidereus axis cardine excussus ruat,
 Polumque auerno misceat, solo salum.
 Hanc explicatã fronte dum fortem intuo

(Bea-

(Beatitatis magna pars ipsam fuit
 Beatitatem nosse) præcelsâ excubans
 In arce Sophiæ, mente lustravi improbos
 Hominum labores, dubia quos torquent Dei
 Consilia, & anceps orbis inuersi status.
 Quenam hæc phrenesis? quæve tam dira abditos
 Suadet cupido mentis æternæ sinus
 Tentare? Sunt, quos alta dum terram quies
 Pelagusque sopit, Cynthia insomnes videt,
 Diemque nocti adiungere, & noctem die.
 Heu vana turba! sicne consilia ætheris
 Animæ minoris futilem ad lancem vocas?
 Opera stupenda conspici Numen iubet,
 At curiosè introspecti Numen vetat,
 Dum torquet orbem cuncta moderantis manus,
 Versatque summis ima, furtiuos gradus
 Caliginosæ noctis inuoluens sinu,
 Frustrâ æterni consill explores iter.
 Citiùs sequaci lumine assignes viam,
 Per inane liquidum penna quam Prognès secat,
 Quam fœta niuibus bruma trans pontum fugat,
 Luteos apricis figat vt terris lares.
 Citiùs carinæ tumida sulcantis freta
 Inter procellas semitam visu notes,
 Dum feruet imo pelagus è fundo erutum.
 Expende casus, discute humanas vices,
 Intende nervos perspicacis ingent,
 Aciemque vibra; numquam in auctoris Dei
 Penetrabis adyta: lucis æternæ iubar
 Aciem retundet. Nimia lux oculos solet
 Obnubilare, mensque dum viam sagax
 Rimatur omni parte, labyrinthum struit.

Ffff 3

Licet

Licet vsque vires turba sapientum exerens
 Velut repertâ luce in amplexus ruat
 Similis tenenti, fallit elusus labor:
 Tenebrisque mersa veritas luctum adferet.
 Ut cum diurna vota ludificans sopor
 Vultus parentum somnio pictos dedit,
 Quos atra mæsto funere abscondit dies;
 Ilicet in vlnas ruitur, & nexus parant
 Dudum expetitos: vana sed nexu obuios
 Frustratur vmbra, & corde mærorem ciet.
 Verè ille sapiens; sobriè quisquis sapit:
 Qui cæca celi fata suspiciens colit,
 Et nesciendo sanctius nouit Deum.

PROSA EXEGESIS.

QUEM ADMODUM ij, qui post longam iactationem marisque pericula iam portum inuecti sunt, libenter relictas à tergo tempestates ex editâ rupe aut pharo contemplantur, & luctantes cum ventis ac fluctibus cymbas non absque grato horrore, quoad licet, oculis sequuntur: sic Ecclesiastes, cum diu inter Scyllam & Charybdim in abyssu diuinorum iudiciorum, cæcisque nubibus ac procellis diuinæ prouidentiae fluctuasset, postquam securitatis portum adeptus est, animoque à curis soluto ac libero in sinu diuinæ sapientiae ac benevolentiae conquieuit; nunc velut è speculâ eorum, qui in hoc stolidæ curiositatis freto iactati, tumidarum disputationum fluctibus abripiuntur, aut pericula spectat, aut naufragia.

Homo non
 capit diu-
 na prou-
 dentia con-
 silia.

Stolidam dixi curiositatem. Cuius enim consilij est, fragilem humanæ mentis cymbam inscrutabili diuinitatis abyssu committere? cuius prudentiae est, immen-
 sum